

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXIII. Quali desiderio homo ad sanctam communionem domini
accedat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Misericordia
et charitas
ad mensam
Christi
ministrant.

tio vera. In hac domo erant duæ virgines pulcherrimæ ministrantes, misericordia videlicet et charitas. Misericordia erat janitrix, quæ omnes advenientes benigne intromittens, ad mensam illam ponebat. Charitas vero discumbentibus ministrabat, eratque omnium illuc venientium largiflua propinatrix.

CAPUT XXIII.

QUALI DESIDERIO HOMO AD SANCTAM COMMUNIONEM DOMINI
ACCEDAT.

ITEM cum signum poneret communicatura, dixit ad Dominum : « Scribe, dulcissime Domine, nomen meum in Cor tuum, nomenque tuum mellifluum cordi meo per jugem memoriam inscribe. » Ad quam Dominus dixit : « Dum vis communicare, tali intentione me suscipias ac si omne desiderium et omnem amorem quo unquam humanum cor flagravat haberes, sicque in altissimo amore, quo possibile est humanum cor affici, ad me accedas, egoque amorem illum in te suscipiam, non prout est in te, sed velut si talis ac tantus esset, quantus tu eum esse volebas. »

DE SEPTEM GEMMIS PRETIOSIS.

ALIA vice cum idem signum poneret, dixit : « Scribe, Domine, nomen meum in Cor tuum. » Statim visus est ei Dominus quasi habere litteras aureas, septem gemmis ornatas in pectore suo ; viditque litteram primam nominis sui, et agnovit ejus significationem. Deinde requirens nomina

quarundam quæ se orationibus suis commendaverant, invenit etiam primas litteras nominum earum septem gemmis adornatas. Prima designat cordis munditiam; secunda, assiduam memoriam conversationis et verborum Christi; tertia humilitatem; quarta, incrementum bonorum operum; quinta, patientiam in adversis; sexta, spem; septima, cœlestium amorem. His enim communicans esse debet insignitus.

Mechtildis
nomen in
Corde
Domini
inscribitur.

CAPUT XXIV.

QUALITER HOMO AD COMMUNIONEM ACCEDAT.

ANCILLÆ Christi moris erat, ut dum communicare vellet, Christi passionem diligentius recogitaret; et si quando hoc negligebat, graviter se deliquisse timebat, eo quod Dominus dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. xxii. 19.) Unde cum Dominum orasset ut hujus verbi sibi sensum exponeret, sic intelligendum per Spiritum Sanctum est edocta:

Hoc facite in meam commemorationem: Tria sunt nobis memoranda tempore sanctissimæ communionis corporis Christi. Primum est æternus ille amor quo nos Deus, cum non essemus, amavit, prævidens omnem defectum nostrum et perfidiam; et tamen nos creare dignatus est ad imaginem et similitudinem suam; pro quo merito gratias referamus. Secundum est amor ille inæstimabilis quo Filius Dei, cum esset plenus deliciis in Patris gloria, inclinavit se cum sua infinita majestate ad omnem nostram miseriam, quam patimur in vinculis Adæ: famem, frigus, æstum, lassitudinem, tristitiam, opprobria, pœnam et mortem turpissimam. Quæ

Tria
memoranda
tempore
Communionis.